

et cum magno cogitatu pertractat, quomodo per argumenta falsitatis documenta veritatis exuperet; hinc inde se circumtegit, et contra hoc, ubi deprehendi poterit, veritati similem responsum querit; qui si veli verum dicere, utique sine labore potuisset; plana quippe est veritatis via, et grave est iter mendacii. S. GREG., l. XII *Mor.*, c. cx. In quorum confirmationem citat textum Jeremiæ, c. ix, 5, dicentis: « Veritatem non loquentur, docuerunt enim linguam suam, loqui mendacium: ut iniqua agerent, laboraverunt. » Optime quidem actor de mendacio agens, inquit: Mendacium non veterascit: non inveteratur mendacium, sed semper quasi juvenescit. Item de mendace Titus Livius inquit: Mendacem memorem esse oportet. Et ecce vobis novum hominis mendacis laborem; extreme namque sollicitus est, ut, quod falsum dixit, viva semper in memoria circumferat, ne aliquando ei contradicat: veritas autem semper eadem, semper eundem habet vultum. Cogitandum est iterum, iterumque, qualiter, et per quam viam, ut mendacium sustineatur, et defendatur, gerendum sit, ut falsitas in mentibus radicetur alienis; quodque omnium pessimum est, tandem perjuriam descenditur. Hinc S. Augustinus ait: Propterea quia omnes laborant in mendacio; veritas quid clamabit? *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Eadem quoque veritas, subjungit S. Augustinus, est illa, quæ in alio quodam psalmo nos resquehendit, inquit: « Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et queritis mendacium? » Veritas homini naturalis est, sicut e contra mendacium ab eodem est alienum, unde mendaces, filii alieni vocantur. Filii alieni mentiti sunt mihi. Diabolus enim mendacii auctor est, et instigator; ac proinde majorem utique facilitatem vera loquendo habebimus, quam in proferendis mendaciis.

Quia *diaboli filium* constituit; juxta Christi testimonium: Vos ex patre diabolo estis, non carnis successione ut S. Ambrosius loquitur, sed inimicis; nam cum diabolus omnia bona a Deo habeat, mendacium tamen non ab illo accepit, sed per se excogitavit, filiosque suos docuit, ut recte Origenes advertit. Hinc non nemo mendacium diaboli larvam appellavit. Jo., v. 44.

Quia nihil adeo hominem *Christo dissi-*

*milem et ingratum facit*, quam mendacium, utpote quod est recta contrarium potissima Christi prærogativa ac doti, scilicet veritati.

Quia *plurimorum vitiorum est initium aut fundamentum*: nam teste S. Basilio, vix ulla est injuria, cui non mixta sint mendacia: et, ut Epænetus dixit, omnium injuriarum causa sunt homines mendaces. DREX., in *Phaet.*, c. xxx, § 4. Præcipue tamen ad perjuriam facilis est a mendacio transitus, ut sapienter Tullius advertit, dum dixit: Qui semel a veritate deflexerit, hic non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perducitur solet. Quid enim interest inter perjurium et mendacem? Qui mentiri solet, pejorare consuevit. CICERO, l. III *Offic.*

Quia *privat summa voluptate*, quæ ex veritatis studio percipitur; de qua S. Augustinus, amplectere, ait, veritatem, si potes, et frui illa, et delectare in Domino. Quid petis amplius, quam ut sis beatus? et quid eo beatus, qui fruatur inconcussa, incommutabili et excellentissima veritate? S. AUG., lib. II, de *Lib. arb.*

Quia *faciliter est abstinere mendacio, quam illud dicere*, ut idem S. Augustinus sapienter observavit dicens: Laborant homines loqui mendacium, nam veritatem tota facilitate loquerentur. Ille enim laborat, qui fingit quod dicit; nam qui verum vult dicere, non laborat: ipsa enim veritas sine labore loquitur. Id., in *Ps.* cxxxix.

Quia *vix quidam societati humane et fraternæ est magis contrarium*, quam mendacium; ut merito Salomon dixerit: Abominatio est Domino labia mendacia. Prov. xii, 22, et vetus iambus:

Nil vanitate mentiendi turpius,  
Odere divi, odere homines mendacium.

#### MEDIA.

Meminisse *se Dei esse Filium*, sic enim non parum quis ad mendacium cavendum incitabitur, cum magno Principes ac Dominos nihil magis contristet ac offendat, quam si advertant se filios habere parum ingenuos ac mendaces. Certe jam pridem Salomon dixit: « Non decet Principem labium mentiens. » Prov. xxvii, 7. Hinc Ptolomæus ab Ægypti Rege quaesitus; qua ratione Rex

veritatem in omnibus sectari posset, respondit: Si primum stateris, magnum dedecus esse hominibus mentiri, multo magis vero Regibus, qui, cum habeant potestatem agendi quæ velint, cur mentiantur, non habent. ENGELGR. in *Dom. Pass.* § 2. Quod bene observans Carolus V Imperator, dum affirmare esse volens, non aliter, quam sub fide Viri Nobilis affirmavit, sciens nempe, quod juxta S. Bernardum Regi simpliciter dicere, jurare est: et leve mendacium, grave perjurium reputatur. Ibid.

Meminisse, *se Christianum esse*; hinc enim sicut non parum ad Christum amandum et imitandum, ita ad veritatis quoque, quæ præcipua ipsius virtus et dos est, studium incitabitur. Hinc tot millia Martyrum maluerunt mortem oppetere, quam mendacio animam commaculare: quia scilicet bene notant, quod, S. Augustino teste, incomparabiliter pulchrior sit veritas Christianorum, quam Helena Græcorum; pro illa enim fortius Martyres nostri, quam pro ista mille herodes adversus Trojanos concertarunt. S. AUG., ep. ix.

Meminisse, *se hominem esse*, atque adeo sociabile animal; hinc enim iterum non modice impelletur ad omne mendacium detestandum, utpote quod vel maxime aptum est ad convicium et societatem humanam dissolvendam. Hinc S. Paulus ad fugam mendacii persuadendam hoc potissimum argumento est usus dicens: Deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.

Meminisse, *se ingenuum ac liberum esse*, non quacumque sed spirituali et vera libertate a Christo per suam passionem donatum; hinc enim non leve in ipso odium mendacii exurget, utpote quod summe dedecet ingenuos homines, ut jam olim prisci senserunt, apud quos firmum erat axioma:

Libero cuiuscumque summum dedecus est mendacium.

Meminisse *famae suæ*, quam dum sæpe quis maxime servare cupit per mendacium, negando errorem aut crimen a se commissum esse, amittit; nihil enim opertum, quod non reveletur; neque absconditum, quod non sciatur, ut Christus dixit. Luc. xii, 2. Hinc et antiqui dicere consueverunt:

Diu latere non queunt mendacia.  
TOMUS III.

Meminisse *damni*, quod patitur per mendacium, non tantum apud Deum (ejus iram in nos provocando juxta illud D. Augustini: « Quisquis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis hominem timet, quam Deum, » S. AUG. in *Phaet.*, c. xxxvii, § 4, sed etiam apud homines, dum scilicet efficit, ut et vera et seria loquenti fides non habeatur, id quod suo damno quidam, nomine Planus, expertus est, qui, cum sæpe fractionem cruris simulasset, et sic aliorum auxilium obtinisset, tandem vere fracto crure, cum iterum opem peteret, neminem adjuvatorum habuit, sed ab omnibus hoc responsum tulit: Tollat te, qui non novit te. Ibid. c. xxxvi, § 3.

Meminisse, *uti se commembrum esse alterum*, S. Paulus sensit dicens: « Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. » Eph. c. iv. Efficacissimum sane execrandi mendacii motivum; omnes namque ejusdem corporis sumus membra, eodem vivificata spiritu, subque eodem capite, quod æterna veritas est: veritatem autem facientes, in charitate crescemus in illo per omnia, hinc est caput Christus, ex quo totum corpus compactum est. Ubi D. Chrysost. talem formatum discursum: Quod pudorem magis incutit, quia sumus invicem membra. Nemo decipiat proximum; nihil est, quod æque pariat inimicitias, atque decipi et falli vides, quomodo ubique eis pudorem incutiam per corpus: Ne fallat, inquit, oculus pedem, neque pes oculum, ut sit fossa profunda. Quid si serpentem viderit oculus, aut feram, num fallit pedem, num statim renunciat? ita nos quoque ne mentiamur, nec fallamus, si sumus alter alterius membra. Sane si oculus deciperet pedem, nec de præceptio sollicitus esset, inevitabile claudicationis aut mortis damnum, et consequenter ipsius oculi jactura toti inferretur corpori; ita et mendacium non modo mendaci, sed etiam proximo et republica toti, utpote commercio pernicioso humano, damnum infert; ideoque S. Hieronymus nos admonet, dicens: Nemo circumveniat fratrem, quia unum corpus sumus, et non possunt alterutrum membra se fallere, nec enim manus aut oculus, aut dentes lacerarent membra, nisi forte, ubi spiritus immundus inhabitat.

## ASCETICA.

*In primis nosse debet Asceta discrimen inter deceptionem et mendacium; quod quidem S. Augustinus his verbis assignavit: Fallitur, qui putat verum esse quod dicit, et quia verum putat, ideo dicit; hoc autem quod dicit, qui fallitur, si verum esset, non falleretur; si non solum verum esset, sed etiam verum esse sciret, non mentiretur. Fallitur ergo, quia falsum est, et verum putat; dicit autem, non nisi, quia verum putat. Error est in humana infirmitate, sed non est in conscientia sanitate; quisquis autem falsum putat esse, et pro vero asserit, ipse mentitur.*

*Nosse debet, quoniam sit diversitas gravitatis in mendaciis: de qua Concilium Toletanum octavum sic loquitur: Vir sanctissimus Augustinus investigationis acumine cautus, inveniendi arte præcipuus, afferendi copia profluus, eloquentia flore venustus, sapientia fructu fecundus, hæc in suis narrat affatibus: Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut jocamur, aut proximis utilitatis causa mentimur: illud primum in jocando, ideo non est perniciosissimum, quia non fallit; novit enim ille, cui dicitur, joci causa esse dictum. Secundum autem ideo mitius est, quia retinet nonnullam benevolentiam; ideo ipse non auferat, inquit, veritas misericordiam, non misericordia impedit veritatem; unde patet perniciosum mendacium cæteris gravius esse, atque adeo et studiosius fugiendum, CONC. TOLET.*

*Nosse debet, cur illicitum sit mendacium; quod S. Thomas sequentibus verbis indicat: Quod est secundum se malum ex genere, nullo modo potest esse bonum et licitum, quia ad hoc, quod aliquid sit bonum, requiritur, quod omnia recte concurrant. Bonum enim est ex integra causa, malum vero ex singularibus defectibus, ut Dionysius c. iv de Divin. nominibus ait. Mendacium autem est malum ex genere, est enim actus cadens super indebitam materiam, S. TH. II. 2. q. cxx. n. 3. cui assentiens Gerson, omne mendacium, inquit, est malum et peccatum, quia fit abusus loquelæ, quæ ordinata est ad hoc manifestandum, quod est in corde, et principaliter propter hoc, quia si daretur licentia mentiendi sine pec-*

cato, destrueretur tota fiducia societatis, quæ est inter homines, quia nesciretur, quando veritas diceretur, et quando non, ex quo mentiri posset licite in aliquo casu. Hinc Innocentius III dixit: Divini præcepti verbo constanter vetari, ne quis etiam pro alterius vita salvanda mentiatur. Ubi Hugo Victorinus quaerens utrum pro alterius vita tutanda mentiri sit licitum, in hæc concludit verba: Nullo modo approbandum est; cuius hanc assignat rationem dicens: Male enim mentiendi vitam servat in alterius corpore, qui per mendacium veritatem extinguit in suo corde. Innoc. III, de Usur. Qua eadem in difficultate sese occupans S. Basilius in Brevioribus regulis suis, hanc movet questionem: Numquid utilitatis alienius causa consulto mentiendum sit? Et absolute nequaquam id licitum esse respondet, inquit: Hoc sententia Domini non permittit, a quo sic præcisè dictum est: Mendacium ex diabolo esse, neque mendacii ulla omnino distinctio est adhibita. At vero si quis propter lucrum spirituale mentiretur, offenderetne Deum, suamque coinguinaret conscientiam? Respondeo: a Spiritu veritatis, S. Paulo Apostolo dictata lex est, non esse faciendi mala, ut inveniatur bona: majus autem malum esse offensa Dei, plurisque æstimandam, quam quodvis ingens bonum, quod ex mendacio resultare posset. Ergo diligenter caveat ipse Asceta, aliosque absterreat ab errore, in quem nonnulli, etiam magni Ascetæ inciderunt, dum judicaverunt, mendacium saltem in casu magni mali avertendi licitum esse. Quam doctrinam fuse refutat S. Augustinus, dum ait: Quo constituto (nempe quod mendacium omne sit peccatum) quis commovebitur illis exemplis, eum dicitur: Quid si homo ad te confugiat, qui mendacio tuo a morte possit liberari? Illa enim mors, quam stulti timent homines, qui peccare non timent, non animam, sed corpus occidit, sicut Dominus in Evangelio docet; unde præcepit, ne ipse timeatur. Os autem, quod mentitur, non corpus, sed animam occidit. His enim verbis aperitissime scriptum est, os, quod mentitur, occidit animam. Quomodo ergo non perverissime dicitur, ut alter corporaliter vivat, debere alterum spiritualiter mori? nam et ipsa dilectio proximi ex sua cuiusque dilectione terminum accipit: Diliges, inquit, proximum, sicut teipsum. Quomodo ergo quisquis diligit tanquam seipsum, cui ut

præstet temporalem vitam, ipse amittit æternam? non est jam diligere seipsum, sed plus quam seipsum. Certe quam pernicioosa sit hæc doctrina, idem Sanctus paulo post sequentibus verbis ostendit: Ita omnis doctrina veritatis auferatur, cedens licentiosissimæ falsitati, si mendacio vel officioso aliunde penetrandi datur locus. Aut enim temporalia commoda vel propria, vel aliena, veritati præponit, quicumque mentitur, quo quid potest esse perversius? Certe injuria Deo illata gravior est omni humano malo. Quæ omnia alio argumento confirmans S. Bernardus, nullum, inquit, justum mendacium: omne mendacium in omnibus est peccatum: omne quod a veritate discordat, iniquitas est. Si mendacium apud omnes damnatur, si falsitas humano judicio puniatur, quanto magis ante Deum, qui est testis verborum et operum? ante quem etiam de verbo otioso unusquisque rationem redditurus est. S. BER. I. de Grat. et libero arbit.

*Nosse debet solvere argumenta eorum, qui mendacium licitum esse, variis exemplis conatur evincere. Qua in re facem præferens S. Augustinus, quando, inquit, nobis de Scripturis sacris mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non sunt, sed putantur esse, dum non intelliguntur; aut si mendacia sunt, imitanda non sunt, quia justa esse non possunt. Unde obsteretricibus his, et Rahab meretrici benefecit Deus, non quia mentita, sed quia misericordes fuerunt in homines Dei, Deus uno tempore in una causa vidit factum misericordiae, et factum fallaciæ, bonum remuneravit, et propter hoc bonum, malum illud ignoravit. Jacob, quod matre fecit auctore, ut patrem fallere videretur, si diligenter et fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium. In figuris enim, quod velut mendacium dicitur, bene intellectum verum invenitur. S. AUG. c. x.*

*Nosse debet, quomodo cum veritate dixerit Sanctus David: Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax: Si namque propter hoc asserit, ut homo fidem non meretur, utpote mendacium dicens, quandoquidem juxta ejus testimonium: omnis homo mendax, alqui ipse est homo, ergo mendax: cui mirum responderi potest (verba sunt Petri Damiani): si omnis, et tu: falsaque jam erit sententia, quam mendax ipse protulisti: si vero ipse non mendax, vera jam sententia non erit, quia dum tu es verax, non omnis*

homo cognoscitur esse mendax. Difficultatem itaque ex his, quæ Psaltes præmisserat, scilicet: Ego dixi in excessu meo, in hæc resolvit verba: Per excessum igitur mentis et semetipsum transit, dum de qualitate hominis definitivè, ac si perspicue dicat: De falsitate omnium hominum inde veram sententiam protuli, unde ego ipse supra hominem fui; in tantum vero et ipse mendax, in quantum homo; in tantum autem omnino non mendax, in quantum per excessum mentis supra hominem ad summam contemplanda conscendi. S. PETRUS DAMAS. I. III. Epist. xiv.) Idem quodque dubium Sanctus Hieronymus movet, eamdemque illi adhibet ponderationem: ita enim discurrit: Vel David verum dicit, aut vero mentitur: si verum est, quod omnis homo sit mendax, verumque pariter est quod dicit; ergo et ipse mendacium dicit, quia homo; est si vero mentitur et ipse, ego substiteret nequit, quod asserit. Verumtamen ad hæc objectionem enim Sanctus Hieronymus aliter respondet, inquit: Nos autem dicamus, et David vera dixisse, quod omnis homo mendax; quando enim homines sumus, mentimur; quando autem fuerimus Dei, desinimus mentiri; si quis sanctus est, Deus efficitur, et quando factus fuerit Deus, desinit esse homo, et jam non mentitur.

*Nosse debet, quomodo aliqua sanctorum hominum dicta a mendacio excusari queant, ut cum S. Abraham ad radices montis subsistens dixit servis suis: « Postquam adoraverimus revertetur ad vos: » circa quæ verba idem Origenes quaerit quomodo Abraham dicere poterit, quod ipse et filius ejus ad servos essent reversuri, quandoquidem filium suum in morte jugulandum esse sciebat? unde subjungit: Dic mihi Abraham, verum dicis, aut fallis? si verum dicis, non facies filium holocaustum; si fallis, tantum Patriarcham non deceat fallere. Moxque ex ore Abrahæ in hunc modum respondet: Verum dico, et holocaustum offero puerum, et cum ipso redeo ad vos, credo enim, et fides mea hæc est, quod a mortuis resuscitaretur eum potens est Deus. Similiter quando idem Patriarcha Saræ conjugii suæ persuasit, ut diceret se sororem suam esse, non propter hoc mendacium ei persuasit: nam ut oleaster ait: Vere etiam dixit, quod soror ipsius esset, filia scilicet patris sui; tenentur enim viri sancti de se rationem reddere, maxime quod non sunt*

mendaces. Unde tametsi verissima sit illa propositio : In multis offendimus omnes ; attamen servi Dei mendacii labem specialiter semper abhorruerunt, ac proinde Abraham apud Regem illum idololatram, et in domo ejus, in qua timor Dei non erat, ostendere voluit, se non esse mentitum, neque conjugii suæ persuasisse, ut diceret mendacium, ideoque ait : « Vere soror mea est, filia patris mei, et non filia matris meæ. » Davidem quoque in tali occasione positum in scriptura invenimus, in qua sibi necessarium esse duxit, ut mendacem se faceret, seu ut melius dicamus, ut talem se esse fingeret, qui non erat, et verum occultaret, quia de vita ejus pariter et salute publica tuenda agebatur, eo quod hæc ex ejus utpote a Samuele in Regem Israël consecrati morte plurimum periclitaretur. Inprimis igitur, quia David ab aula regia fugitivus erat, eo quod Saul Rex ipsum ad necem inferendam, persequeretur, in itinere famelicus factus sacerdoti dixit : « Rex præcepit mihi sermonem, et dicit : Nemo sciat rem, propter quam missus es a me ; » quod tamen a Rege præceptum ei non fuerat ; sed notetis velim, quibus verbis David factum hoc circumscrisperit, dum Psalmum xxxiii ab his verbis exorsus fuit : Psalmus David, quando mutavit faciem coram Achimelech ; ubi Theodoretus ita scribit : Quoniam fugitans sacerdoti fugam minime indicavit, sed regium quoddam negotium se perficere dixit : mutasse faciem dicitur, tamquam solita veritate minime usus ; quia enim in tam arduo casu veritatem celare et fingere licitum putabat, id ipsum faciens, tali rubore vultum suum tinxit, ut faciem alteram habere videretur, unde ad perpetuam hujus facti memoriam, id Ecclesiæ annalibus hæc verba scripta reliquit, Psalmus David, quando mutavit faciem coram Achimelech ; larvam enim induit, et se Davidem esse coram aliis videri erubuit, quando in verbis suis veridicens, sincerus, et ingenuus non erat. MANSI, d. iv, n. 7.

*Nosse debet, quomodo spiritus bonus et malus quoad hæc materiam discernantur ; id quod auctor Operis imperfecti sequentibus verbis indicat : Sic discernuntur, quoniam diabolus interdum verum dicit : Sanctus autem Spiritus nunquam interdum mentitur, concessum est autem diabolo et interdum veritatem dicere, ut mendacium suum rara veritate commendat ; si autem num-*

quam diceret verum, nec ad tentationem posset proficere seductio ejus ; cur autem veritatem præmittat, causam Sanctus Isidorus indicat dicens : Sæpe vera præmittit, qui falsa dicitur est, ut cum primum acquisierit fidem, ad reliqua mendacia audientes credulos faciat, plerumque a veritate incipit, qui falsa confingit, latent sæpe venena circumlita melle verborum, et tam diu deceptor veritatem simulat, quousque fallendo decipiat. S. ISIDOR. l. II *Sent.*, c. xxx.

*Nosse debet, quando liceat occultare veritatem, nam, ut S. Bonaventura ait : Numquam mendacium licet dicere, sed veritatem licet et expedit quandoque tacere : adducitque Samuelis exemplum, qui, cum missus esset, ut Davidem in Regem consecraret, interrogatus, ad quid venisset, respondit, venisse se, ut Domino sacrificium offerret : « Ad immolandum Domino veni, » inquit : ad aliud enim principaliter venerat, et nihilominus hoc facere proponebat. S. BONAV., in *Bibl. paup.* Hugo de S. Victore similiter hac de re ita scribit : Potest tamen in hujusmodi aliquando veritas sine causa celari, quando causa salutis nostræ sive utilitatis alienæ ratio id exposcit ; longe enim aliud est, quod verum est tacere, atque aliud, quod falsum est asserere. Anastasius Nicænus, quomodo ad veritatem celandam fingere liceat ostensus, jam citatum adducit Samuelis exemplum, nec non et Moysis, quando Pharaoni dixit, quod populus itinere trium dierum egressurus esset ad offerendum Deo suo sacrificia in solitudine, tametsi populum ab Ægypto in sempiternum migraturum esse sciret. Item exemplum Aod, et Jahel cum Sisara, Judith item cum Holoferne ; hisque exemplis adductis tandem concludit, dicens : Per hos ergo dolos non sunt Sancti appellandi mendaces, sed sapientes quidem ad bonum, sinceri autem ad malum. Aliud ergo, ut recte S. Augustinus advertit, est mentiri, aliud verum occultare. Si quidem aliud est falsum dicere, aliud verum tacere, ut si quis forte ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, et neque prodatur, neque mentiatur, ne occidat animam tuam pro corpore alterius. Verum autem occultavit et Dominus, cum discipulis nondum idoneis dixit : Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare illa. Jo., xvi, 12. Et Apostolus Paulus cum ait : Non potui loqui vobis quasi spiritali-*

bus, sed quasi carnalibus. I Cor. i, 4. Unde manifestum est, non esse culpandum aliquando verum tacere, falsum autem dicere non invenitur concessum etiam perfectis.

*Nosse debet, cur religiosus præcipue hoc vitium fugiendum sit ; nimirum ob causam, quam S. Albertus Magnus super illa verba, III Reg. c. xvii : Vir Dei es, et verbum Dei in ore tuo verum est, se reflectens, assignat, dicens : Mendacium in ore omnis hominis peccatum est : in ore autem Doctoris veritatis, sacrilegium est. S. ALBER. M. in cit. text. Quam doctrinam etiam S. Gregorius confirmans ait : Mendacii omne genus perfecti viri summopere fugiunt, ut nec vita alicujus per illorum fallaciam defendatur ne sue animæ noceant, dum prodesse nituntur carni alienæ ; quamquam hoc peccati genus facillime credamus relaxari : nam si quælibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quanto magis hoc facile abstergitur, quod mater boni operis ipsa pietas admittit. S. GREG. l. III *Mor.* Sed et aliam rationem affert S. Augustinus dum ait : Non enim ita peccat, qui consulendi, quomodo ille, qui nocendi voluntate mentitur ; nec tantum nocet, qui viatorem mentiendo in adversum iter mittit, quantum is, qui viam vite mendacio fallente depravat. Unde alibi dixit : Perfectorum præceptum est, non mentiri, sed nec velle mentiri. S. AUG. in *Ench.**

*Nosse debet specialia damna mendacii ; quæ dilucide Josephus Mansi indicavit his verbis : Præterea mendacium in se ipso triplicem ex natura sua continet malitiam, et deformationem, videlicet abusum loquendi, deceptionem proximi et amicitiae violationem, qui enim mendacium loquitur, sermone abutitur, quia usus linguæ ad hoc specialiter homini concessus est, ut ad explicandum exterius, quæ interioris concepta sunt, distinctam vocem, et sermonem articulare possit ; mendacium autem huic effectui opponitur, siquidem interiorum conceptum falsificat. MANSI, d. i, n. 6.*

#### CONCEPTUS PRÆDICABLES.

Ex occasione thematis : *Noli velle mentiri omne mendacium, Eccl. vii, 14, potest natura mendacii, et varii ejus actus, de quibus supra dictum, per comparisonem cum iis, qui vitra vendunt, explicari, uti Mathias*

Fabr, conc. 6. in Dom. 8 post Pent. facit, dum ait, alios esse, qui vitra ipsi fugiunt : alios qui variis coloribus illustrant : alios, qui coempta vendunt : alios, qui mensis apponunt : alios, qui in faciem alterius projiciunt quæ omnia postea ille in sensu morali explicat.

Ex occasione thematis : *Opprobrium nequam in homine mendacium, Eccl. xx, 26 ; potest ostendi, quantopere dedecet hominem mendacium. Sive se, ut filium Dei, et hæredem regni cælestis, sive ut Christianum ; sive ut hominem ad societatem natum ; sive ut ingenuum et liberum ; sive ut virum consideret. Quæ omnia fusius supra videri explicata queunt.*

Ex occasione thematis : *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium, Ps. v, 70, possunt explicari damna, quæ per mendacium creantur. 1. Ipsi mentienti, tum per reatum peccati et poenæ correspondentis ; tum per infamiam, quam contrahit ex iterati hujus peccati consuetudine. 2. Illis, coram quibus mentitur : dum illis falsas veritates obtrudit, atque ad easdem aliis quoque communicandas occasionem præbet. 3. Republicæ et hominum societati, cujus potissimum vinculum, scilicet fidelitatem, quantum est in se, dissolvere conatur. Quæ omnia vide fusius apud Fabr. conc. 5 in Dom. 7 post Pent.*

Ex occasione thematis : *Vanitatem, et verba mendacia longe fac a me, Prov. xxx, 8, possunt offerri remedia pro hoc vitio emendando, qualia sunt : 1. Horror et detestatio seria hujus peccati ex consideratione turpitudinis concepta. 2. Tarda et considerata locutio : sic enim longius aberit ab ipso etiam mendacio profterendo. 3. Radicis sublatio : quæ plerumque est nimium hominibus placendi desiderium, quæ proin extirpanda erit, perpendendo, quod Dei favor omnium hominum favore sit potior, et quod sufficit Dominus solus sustinentibus se in via veritatis et justitiæ. Eccl. xxii, 4. *Seria castigatio ;* si enim juxta commune proverbium, mendacium colapho pensandum est, ut hac ratione absterreantur homines ; quidni etiam castigatio a nobis ipsis suscepta idem efficiat ?*

Ex occasione thematis : *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem et queritis mendacium ? Ps. iv, 30, possunt præstari, et refutari excusationes, quibus se defendere solent mendaciorum ama-*

tores, videlicet: 1. Quod non videatur ullum picuolum, suam aut aliter famam officioso mendacio tueri. 2. Quod etiam honestissimi quique et justitiæ amatissimi viri interdum mentiti sunt; imo, teste Lyeosthene, sicut non est piscis sine spinis; ita nec homo sine mendacio. 3. Quod peccatum mendacii, utopie leve dumtaxat (maxime si jocosum aut officiosum sit) facile deleri possit; non autem tam facile reparari damnum quod per illius omissionem incurritur. 4. Quod cuivis fere a variis varia mendacia obrudantur, atque adeo licitum sit pari moneta alios solvere. Quæ omnia et plura similia argumenta facile ex iis, quæ hæc de mendacio dicta sunt, solvi queunt.

#### ALII CONCEPTUS.

QUALITAS. — Lingua, ut anatomistæ aiunt, per certam quamdam venam cerebro connectitur; et per aliam venam cordi conjungitur; per hanc vero venarum distributionem natura nos docet, quod instrumentum illud humidum ab intellectu et ratione ita regulandum sit, ut lingua simul cum corde perfecte consentiat. Mendacium vero est manifeste proximorum deceptio.

Mendacium Salvatori nostro adeo exosum est, ut ipsum ne quidem in ipsiusmet infernalis inimici ore sufferere possit. Prout ex illis S. Lucæ patet verbis: Exibant dæmonia a multis, clamantia et dicentia: « quia tu es Filius Dei, » et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum; ubi merito interrogaverim, cur Dominus a dæmonibus Filius Dei appellari noluerit, numquid enim falsum asserebant? Mysterium ex illo S. Marci eruatur textu: « Scio quis sit Sanctus Dei. » Ubi Cajetanus inquit: Non sinebat ea loqui, quia dicebant mendacium: quem enim Filium Dei annuntiabant, talem esse non credebant. MANSI, d. x, n. 9.

Notanda sunt verba illa Jobi dicentis: « Prius vos ostendens fabricatores mendacii; » etenim dum fabrica aliqua erigenda est, prius formantur ideæ, mensuræ præmittuntur, jaciuntur fundamenta, et hæc quidem omnia data opera fiunt; ac proinde Job mendaces fabricatores mendaciorum appellans, per hoc insinuavit, mendacia eorum ab ipsis non inconsiderate profluxisse, sed

cum præmisso studio, cum præhabito consilio et fine certo præfixo fuisse elaborata; unde S. Gregorius ait: Qua in re quoque oportet intelligi, quod mendacii fabricatores dicuntur; sicut enim ædificium lapidibus, ita et mendacium sermonibus fabricatur. Atque hinc est, quod majorem mereatur penam is, qui studiosè mentitur, quam qui ex lapsu lingue mendacium effulit. S. GREG. I. II *Mor.* c. xv.

FUGA. — Quorundam interpretum opinio est, primos, quos Salvator noster ab infirmitate curavit, leprosus fuisse. « Ecco leprosus veniens, adorabat eum dicens etc. » At vero cur hic morbus specialiter primo omnium loco sanatur? D. Chrys., super c. xv, I *ad Cor.* scribens: Leporam mendacium præfigurare existimavit; quia lepra carnem quæ exterius putrida est, interius vero sana maculat, et variat; ideoque mendacii est symbolum, quod in pronuntiatione exteriori malitiam suam habet, quia in mente verum apprehendit, licet per linguam exterius falsum dicat, merito igitur primo omnium loco sanandus fuit leprosus, quia ei, qui progressum voluit facere in virtutibus, necessum est, ut prius hanc curet infirmitatem spiritualem? Unde idem Chrys. observat, quod, quando Moyses ex monte tabulas legis detulit, una ex præcipuis industriis hæc fuerit, ut scilicet leprosus separari faceret ab aliis, quia qui divina vult servare præcepta, necessario veritatem sequi, et mendacium fugere debet.

Jonas Propheta a Deo in civitatem Ninive missus fuerat, cum expresso præcepto, hanc populo illi ex parte Dei pronuntiandi sententiam: « Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. » Propheta autem cæterogui sanctus in hoc facto se divino præcepto rebellem monstravit, quia abscondit se, et fugit. Glossa interlinearis super illa verba: Filium Amathi, id est, veritatis, hunc Prophetam nomen Patris sui, id est, veritatem, in nomine suo prætulisse dicit, atque ideo mirum non est, quod tanto cum zelo caverit ne a majorum suorum indole degeneraret; considerabat namque, quod Deus per populi illius penitentiam facile placandus esset, prout re ipsa evenit, adeoque se in evidenti positum esse periculo, ne mendax conferretur, si non subsequeretur comminata per ipsum Ninive subversio, ac proinde ignominiam istam, quæ haud dubie in viro virtuoso multo majoris æstimatur, sustinere non va-

lens, in fugam se recepit; MANSI, d. vi, n. 4; unde Theodoretus ait: Itaque prædicationem ejus falsam videri, sibi turpe existimavit; seque Prophetam vocari mendacem: potius igitur in medias tempestates se ingerere, et ab ingenti marino monstro devorari, Deique iræ tantisper subjectus esse maluit, quam famam præ se ferre viri mendacis.

S. Petrus cui Christus totius gregis regimen commisit, ut illum in viam dirigeret salutis æternæ, quam ad hunc finem, ob quem creati et redempti sumus, consequendum semitam ingredi debeamus, his verbis nos docet: « Christus passus est pro nobis. vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. » At vero quanam sunt hæc a Salvatore nobis relicta vestigia, quæ sequi et imitari debemus? Nam forte eximia mansuetudinis suæ exempla, siquidem prima petitio, quam in cruce æterno Patri suo proposuit, pro venia crucifixoribus suis impetranda instituta fuit: « Pater, dimitte illis? » aut vero profundissimam ejus nos voluit imitari humilitatem? « Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem crucis? » vel denique docere nos voluit, ut sectaremur exemplum ardentissimæ suæ charitatis: « In finem dilexit eos? » Nequaquam, inquit S. Petrus, sed vestigia Christi, quæ Christiani sequi, et imitari debent, consistunt in sinceritate, et simplicitate veritatis, sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit. Ut vere culpam expressius specificaret, a qua specialiter alienus fuit, subjungit: Nec inventus est dolus in ore ejus, id est in ore ejus nullum inventum est mendacium. Unde observandum est, quod, quotiescumque sibi necessarium fuit, ab hac labe immunem se esse ostendere, summum semper zelum exhibuerit, etenim tametsi omnes injurias sibi illatas æquanimiter tulerit, attamen quando de veritate læsa calumniatus fuit, strenue se defendit; quia cum mendacium, maxime in persona religiosa, summum secum ferat præjudicium, illius calumniam dissimulare nunquam voluit, ac proinde dixit: Etsi judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, et qui misit me, Pater; et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est: ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater. *Ibid.* d. viii, n. 6.

S. Joannes numerosam quamdam in

cælo innumerabilium animarum beatarum, Agnum sequentium vidit processionem; at vere quosnam illos fuisse existimatis, qui præstantioribus meritis hanc fuere consecuti gloriam? Num forte illos, qui in presenti vita in eremis ab hominum consortio remoti vixerunt? aut vero qui corpus suum flagellis et cilicis maceraverunt? vel denique, qui pro fidei defensione sanguinem suum fundere non dubitarunt? Nulli horum quia de nullo alio specialior fit mentio, præterquam de iis, in quorum ore non est inventum mendacium; inde namque consequitur, quod sine macula sunt ante thronum Dei. *Ibid.*, n. 7.

DAMNUM. — Serpenti, mendacii primo auctori hæc poena imposita fuit: Terram comedes, super pectus tuum gradieris; nimirum Deus noluit, ut cælum versus se elevare posset, ut denotaret, quam sint cælo indigni mendaces; perdes omnes, qui loquuntur mendacium; ad hæc, quisnam cibus gravior, insipidior, et perniciosior esse potest, quam terra? suavis est homini panis mendacii, sed postea os ejus implebitur calculo, qui tandem detecto mendacium in mendacem redundat contemptus, ignominia, damnum, imo et mors ipsa. E contra de veritate Lactantius Firmianus ait: Nullus suavior est animæ cibus, quam cognitio veritatis. *Ibid.*, d. viii, n. 7.

Quam aspera vindicta Deus in mendaces homines animadvertat, perspicue videri licebit, si ex una parte consideremus, Daniele non semel, sed bis inter leones famelicos illatus; ex altera vero parte Prophetam illum a Deo ad Jeroboam missum, et in via a leone invasum, et horrenda morte enecatam contemplerur, non obstante, quod paulo ante tam prodigiosa operatus fuerit miracula, efficiendo ut brachium regis exaresceret, illudque ipsum suis orationibus pristina denuo restitueretur integritati; quodque tam ardentem in vero Dei cultu et religione defendenda exhibuisset zelum: die enim sodes, quanam est hæc inter duos hosce Prophetas, quorum unus semper illatus permansit, alter vero misera morte periiit, differentie ratio? Divus Chrysostomus respondet: Justus Daniel, et leones agnovērunt Dominum; peccavit Propheta mentitus, et leo in via inventum morte affecit. At vero siste parum, o Chrysostome, non enim ille mendacium dixit, sed alter Propheta, qui illum seducere conatus fuit; ita quidem

est, inquit Chrysostomus, ac proinde os ejus aureum subjungit: Quomodo mendacii fuligine atratus dici potest, si mentitus non fuit? audite, si placet; Propheta illi falsi illius Propheta mendacio aurem præbuit, sequæ ab illius mendacio circumveniri permisit, ac proinde leo illum tanquam Dei Prophetam non agnovit; si Prophetam vidisset ut Daniele eum honorasset; invenit Pseudopropheta, et tanquam alienum invasit. Ecce quantopere divina justitia etiam illos, qui mendacio autem et fidem adhibent in hac vita puniat. *IBID.*, n. 8.

Martinus Delrius refert, in Misnia rusticum quemdam omnem suam pecuniam cuidam burse ex vesica confectæ habuisse inclusam, domique suæ in scabello quodam expositam, quam dum seropha quadam deglutivisset, ipse nescius modi, quo pecunia sibi erepta fuisset, eadem a conjuge sua sublatam fuisse suspicatus est; illa autem idipsum negante, maritus mulierem quamdam veneficam, consilii causa convenit, quæ circulo quemdam faciens, eidem præcepit, ut illum ingrederetur, indeque non recederet, donec ad ipsum rediret, interea vero venefica interiora domus suæ ingrediens, dæmonem, quisnam fur ille fuisset, seiscitata est, qui respondit: Sus comedit domestica, tu tamen dicito, conjugem ejus, ut cum sacerdote amasio eam abigurreret, clam eandem sustulisse, quod responsum eo, quo a dæmone instructa fuerat, modo, venefica marito retulit, nesciens, ipsum ad illam confectandam e circulo egressum, omnia, quæ a dæmone dicta fuerant, plene percepisse: domum suam itaque reversus, rei seriem conjugi aperuit: interea vero seropha occidens, pecuniam suam omnem reinvenit, mulieremque fatidicam tanquam maleficam, et calumniatricem, apud Magistratum accusavit, quæ Vulcano consecrata, infami morte vitam inter flammæ turpiter clausit. Ecce tibi quam verum sit, quod omnis, qui mentitur, ex diaboli persuasionem mentitur. *DELR. Disq. mag. l. IV, c. 1, q. 7.*

Cum Theodosio juniore Imperatori pomum quoddam miræ magnitudinis, nec minoris venustatis oblatum fuisset, hic ejus speciem admiratus illud Endoxie conjugi suæ dono dedit, quæ illud Paulino donavit, qui ob sapientiam, et litteraturam suam domesticus et familiaris ejus erat, licet non sine oborta penes Imperatorem mali suspicione: hic

autem Paulinus, id quod Imperatorem inter et conjugem ejus acciderat, ignorans, ut se tanto magis in Theodosii gratiam insinuarer pomum hoc ab Imperatrice sibi datum Theodosio dono transmisit. Quo recepto is Endoxiam, quid de pomum sibi dato factum fuisset, interrogavit, quæ se manducasse illud respondit; at vero Imperator fraude illius deprehensa eandem tanquam mendacem acriter reprehendit, atque exinde suspicio incrementa sumpsit talia, ut tandem Paulinus donum a se Imperatori transmissum, morte luere deberet. *BARON.*, ad ann. 446, n. 23.

De Isaac Eremita legitur, quod, dum aliquando viatores nonnulli ipsum convenissent laceri, et quasi nudi, elemosynæ loco vestimenta ab ipso postulantes; sine mora vir Dei sanctus, qui fictionem, et mendacium illorum in spiritu agnoverat, quemdam discipulorum suorum ad se accersivit, eique ad certam sylvam aliquam abiret, præcepit, assecurando eundem, quod in concavitate cujusdam arboris multas reperitur esset vestes bonas, quas proinde ad se adferret: abivit discipulus, et inventas vestes ad virum Dei attulit, qui easdem inter impositores illos divisit, dicens: Venite, quia nudi estis, et ecce tollite, et vestite vos; hæc illi intuentes recognoverunt, quæ posuerant vestimenta, magnoque pudore consternati sunt, et qui fraudulenter vestimenta querebant aliena, confusi receperunt sua. *MANSI, d. vi, n. 6.*

Cum Eliseus per aquas Jordaniis Naamanum a lepra sanasset, Giezi ad avaritiam sua instigatus, ut ab opulenti principis illius manibus copiosam, et abundantem extorqueret remunerationem, mendacia finxit; at vera quamnam inde ponam retulit? priusquam illam exponam, audiat primum ejus temeritatem. Propheta enim interrogante unde venis? ille respondit: Non ivit servus tuus quoquam. At vero nunquid Eliseum prophetae spiritu præditum esse non sciebat, cui proinde a Deo revelatum fuerit, non solum id quod fecit, verum etiam, quod per imaginationem cogitavit? Nihil tale impositores a mendacis cohibet. Idem Giezi ipsum Naaman circumvenit, dicendo: Dominus meus misit me ad te, dicens: Modo venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim de filiis Prophetarum, da eis talentum argenti, et vestes mutatorias duplices. Propter hæc igitur mendacia justo promeruit, ut lepra, a qua Naaman sanatus fuerat, super

ipsum recideret: Lepra Naaman adhærebit tibi, et semini tuo usque in sempiternum, et egressus est ab eo leprosus, quasi nix. *REG.*, III, c. XXII.

Polidorus de Goderino scribit, quod cum mendacium quoddam dicere statuisset, prius dixerit, si quod dicturus sum, verum non est, Dei super me vindicta cadat, et bolus panis, quem ore verso, me suffocet; quod profuturum ei evenit; nam ab eodem bolo fuit suffocatus. *POLIDORUS, l. VIII.*

Narrat Nicophorus, quod, cum duo pauperes Epiphanium Episcopum Cypri, a longe prospexissent, unus illorum in terram procumbens, mortuum se finxerit, alter vero se præ fame mori, nec habere, unde mortuum sepultura tradere posset, lamentatus fuerit; cumque Episcopo transeunti negligentiam, et exiguum hujus miserie compassionem exprobrasset, huic mortuo bene precatus fuit, dicendo *Requiem æternam, etc.* alteri vero exigua pro funeralibus erogata elemosyna dixit: Curam hujus funeris habe, et tandem flere desine; nam hic nunc non resurget, mortem autem, quæ communis omnium, et inevitabili quadam necessitate obuenda est, animo te forti ferre oportet. Hæc Epiphanium dixit et abiit: impositor vero dato socio pedis signo, ut eum in pedes erigeret, alter id executurus accessit, eumque quod adeo naturaliter se mortuum fingere potuisset, laudavit; at vero, dum illum per quæcumque agitationem se ne quidquam movere videret, nec halitus signa in ipso deprehenderet, illum vere mortuum esse cognovit; quapropter post Episcopum velociter currens, socii confessus est mendacium et figmentum, rogando ipsum, ut mortuum in vitam revocare, et ambobus mendacii reatum condonare vellet: cui vir sanctus respondit, quod Deus eam retractantem nollet, fidem facere omnibus volens, ut equidem puto, qui tentare et facere talia in Ministris ejus audeant, illum ipsum Deum qui videat, et audiat omnia, eos falsum ire, sequæ adeo ipsos inscios fallere. *NICEPH.*, l. X, *Hist.*, c. XLVIII.

Similem fere casum Petrus de Natalibus refert, videlicet, SS. Julium et Julianum fratres a Theodosio imperatore petiisse, ut illis facultatem impertiretur idolorum templa in omnibus, quæ transituri essent, locis molendi, in eorumque locum Ecclesias in honorem veri Dei erigendi, simulque potestatem illis daret, omnes locorum illorum in-

colas ad ferendam illis ad hoc opus auxiliatricem manum adstringendi. Qua facultate obtenta, cum in certo quodam loco templum erigentibus omnes opem ferrent, nonnulli cum curru transeptes inter se dixerunt: Vix ab ope hisce Dei servis ferenda excusare nos poterimus, nisi pacta quadam inter nos conventionem illos delaudamus; quapropter unum ex suis in plaustrum supinum posuerunt, et eum pannis ut mortuum cooperiunt qui se mortuum fingebat, et oculis clausis supinus jacebat. At vero Julius et Julianus mendacium, et fictionem illorum intelligentes dixerunt: Quid ita mentimini filii mei? et illi: Non mentimur Domini, sed sic est, ut loquimur. Tunc Sanctus Julianus dixit: Secundum veritatem dicti vestri ita vobis contingat: et illi boves pungentes pertransierunt; cumque a viris Dei procul semoti essent, inclamare coeperunt illum, qui se finxerat mortuum, quo non respondente, vere mortuum deprehenderunt; tantusque inde timor ipsos et cæteros invasit, ut nullus de cætero famulus Dei mentiri auderet. *PETRUS DE NATALIBUS, l. VII.*

Ferdinandus II alicuius alicui gratiosum quod æmulum beneficio a Ferdinando augeri non ferens, ausus fuerat Cancellerario mentiri, litteras, quibus alter ditabatur, a Cæsare scenæ datas esse, cæterum nolle vim habere: suo candori (quo longissime a simulatione abesset) injuriam factam dolens Ferdinandus, atque nobilitatem plenis irarum jussit aula discedere, neque sibi unquam amplius adesse. *JO. RUO.*, l. IV, ex. 4.

Pius V pontifex Paulum Gislirum affinem suum, quem Reipublicæ admoveere constituerat, levioris errati suspectum palam facti jussit, confesso majorem apud se gratiam fore. Verum abundantem, mendacisquæ jam manifestum, ob hoc ipsum aula submovit, ac beneficiis, quæ jam contulerat, exutum, urbe cedere, atque in exilium abire jussit, handquaquam Pontificiæ aulæ luce dignum judicans, qui ignobiles mendacii tenebras amaret. *IBID.*, ex. 7.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — Plinius docet, linguam duas venas habere, et earum una cum corde, et altera cum cerebro connecti, ut vel hinc doceamur in locutione linguam cum corde,

et cerebro consentire debere. Ap. DREX., in *Phaet.*, c. xxxv, § 1.

Veteres picturi hominem mendacem, picam flexere, a fronte albam, et a tergo nigricantem, ut per hoc significarent, mendaces in faciem albam veritatem proponere, nigram vero falsitatem in corde occultatam gerere. *Ibid.*

Idem veritatem in quadrato saxo, mendacium in globo statuebant, ut indicarent illam stabilem, hoc vero inconstans et volubile esse, et hac ipsa sua inconstantia et volubilitate periturum; neque enim fraudulentent invenit lucrum, mendacium.

Plinius mendaces appellat abominandas victimas Reipublicæ tranquillitati consecrandas. *PLIN.*, in *Paneg.*

Prisci Ægyptiorum Sacerdotes principi suo Saphirum veritatis Symbolum in collo appendebant, ut eum monerent quantopere veritatem amare, mendacium odisse deberet.

Veteres mendacium depinxere typo serpentis venenum eructantis, sphaeræ incubantis, ferrenumque diadema in capite gestantis. Sphaera ejus inconstantiam denotat, diadema ferreum ejus tyrannidem in subditos suos, quos vineulis mancipatos tenet. *Id.*, n. 5.

Gallienus imper. uxore conquerente, quod impostor gemmas vitreas pro veris obstruisset; velut ultionem sumpturus jussit eum in theatrum produci quasi leonibus obijciendum et dum miser leones expectat, caprum prosilire. Mirante vero hoc factum populo, proclamare jussit: Imposturam fecit et passus est. *Ibid.* conc. 6, in *Dom.* 8 post *Pent.*, n. 5.

Concordiam oris et cordis veteres per pomum persicum adumbrabant, hinc illud Poetae:

Fert folium linguae: fert poma simillima cordis.  
*INGELOR.*, in *Dom. Pas.*

Omnis homo mendax, solus Christus verax est; unde Pilato interroganti: Quid est veritas? aptum anagramma respondet: Est vir, qui adest. *Ibid.*

Non male recens quidam Poeta cecinit:

Namquid in octavo mendacia plurima vulgus  
Edat, an in quarto, quæris, an in folio?  
In decimo sexto mentitos plurima sæclo,  
Suspicio historicos quolibet in folio.  
*Ibid.*

DAMNUM. — Hebræi sapientes dicere sole-

bant: Omnis, qui falsum testimonium dicit contra proximum suum, dignus est, ut canibus projiciatur. *DREXEL.*, in *Phaet.*, c. xxxvi, § 1.

Artaxerxes militem quemdam mendacem cum deprehendisset, linguam illius tribus clavibus perfodi jussit. *FAB.*, conc. 5, in *Dom.* 7 post *Pent.*

Trajanus Imper. cum filio Regis Thraciæ regnum patri juste oblatum relinquere decrevisset postquam eum in mendacio deprehendit, mutavit sententiam, dixitque illi: Tamquam mendax indignus es regno, nec deceat, Romam matrem veritatis habere filium mendacem. *Ibid.*

Hispanus cum solvere hospiti symbolam deberet, eidem, si sine pretio dimitteret, promisit artem traditurum, qua potest ex eodem dolio tria vini genera educere. Itaque postulans terebrum, accessit ad dolium, ac primo foramine facto, jussit hospitem apposito digito dextræ manus id tantisper obstruere, donec et in altera parte id faciat. Quo facto, jussit et sinistrae manus digitum apponere, demum in medio quoque cum fecisset foramen os jussit admove, quo facto, au fugit, et hospitem nimia sua credulitate deceptum reliquit. *LAURENT. FOREN.*

Epenatus dicere solitus est, mendaces omnium scelerum, et injuriarum auctores esse. *PLUTARCH.*, in *Lacon.*

Spartiatius refert, Claudium imperatorem præcepisse, ut corpus Pamphili mortui relinqueretur insepultum, et a canibus devoraretur, nec non omnibus facultatibus ejus confiscatis, domoque illius in terram demolita, filii et uxor ejus ab urbe Romana exularent eo quod mendaciis assuetus, verum nunquam dixisset.

#### AXIOMATA.

Interpres animi lingua, mentiri nefas. Quisquis timet Deum, abstinet mendacio. *VETUS IAMBUS.*

Nil vanitate mentiendi turpius.

Odere divi, odere homines mendacium.

Libro cuique summum dedecus est mendacium.

Nec amat Deus, nec adjuvat mendacium.

Implicatur, explicari dum studet mendacium.

Quanto magis se ornat, tanto deformius est.

Quanto magis sese occultit, magis patet.

Perluceat omne, si inspicio mendacium.

Plurimos laesere, pessum imo dedere mendacia.

Vel timet, vel egenus est, qui utitur mendacio.

Vase in aureo venenum est eloquens mendacium.

Mendacium malis loco virtutis est.

Augentur ut nivis globus mendacia.

Mendacem memorem esse oportet.

#### AUCTORES.

Joannes Busæus in *Panario*. V eodem.

Jeremias Drexen. in *Phaet.*, cap. xxxv, xxxvi, xxxvii.

Jacobus March. in *Horto Pastorum*, tr. iv, lect. xvi.

Philippus d'Outreman, in *Pædagogio Christiano*, p. I, c. v, § 7.

Mathias Faber conc. in *Dom.* 7 post *Pent.* et conc. 6 in *Dom.* 8 post *Pent.*

Henricus Engelgrave in p. I. *Lucis Evang.* in *Dom. Passionis.*

Josephus Langius in *Polyanthæa*. V. eodem.

Antonius Daurolitius in *Floribus Exemplorum*, c. iv, tit. 126.

Josephus Mansi in *Bibl. mor. tract.*

#### MINIMORUM CURA.

##### QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est studium diligens ac providum rerum minimarum, sive declinandarum, cum perfectioni nocent, sive complectendarum, cum prosunt. Ita Julius Nigronus. Dicitur autem hæc cura ad perfectionem maxime pertinere, quia cura maximorum, peccatorum præcipue vitandorum, non tam ad perfectionem, quam ad salutem necessaria est. *JULIUS NIGRONUS, de Cur. min.*, p. 1.

DIVISIO. — Dividitur in curam minimorum declinandorum et quærendorum; quæ

utraq; in varias iterum species a Nigrono subdividitur. Et cura quidem minimorum declinandorum sex habet species. 1. Curam minimarum *tentationum*: nam, ut S. Gregorius recte monet, tanto quisque debet initia tentationis fugere, quanto finem ejus intelligit citius solvi non posse. Quod ipsum confirmans Thomas Kempensis, vigilandum est, ait, præcipue circa initium tentationis; quia tunc facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus intrare sinitur. 2. Curam *periculorum* minimorum: qui enim amat periculum, in illo peribit, teste Siracide. 3. Curam *passionum* minimarum: nam enim scintilla parva contempta incendium parit. 4. Curam *peccatorum* minimorum: quibus peccatis (ut loquitur Casarius Arelatensis) licet occidi animam non credamus, tamen ita eam velut quibusdam pustulis, et quasi horrenda scabie repletam, deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius cœlestis Sponsi aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. Imo, ut S. Augustinus ait, omnia simul congregata, velut scabies, quo plura sunt, necant. 5. Curam *regularum* minimarum: nam nobis, inquit S. Bernardus, ad immunditatem minima quælibet inobedientia sufficit; nec jam novus est, sed grandis macula, si in actionibus nostris vel minimorum residet negligentia mandatorum. 6. Curam *vitiatorum habituum* minimorum: id est, talium, qui a laxatis ordinibus quidem non magni fiunt, sed tamen moribus bonos non leviter corrumpunt, et virtutum invicem connexarum concinnitatem deformant. S. GREGOR. I. XXXII *Mor.*, c. xvi.

Cura minimorum quærendorum pariter sex species involvit. 1. Minimorum curam in victu. 2. In vestitu. 3. In habitatione. 4. In officiis. 5. In aestimatione et honore. 6. In favore et amore; quo enim ferventius minima in his sex objectis quærantur, tanto propius ad similitudinem Christi appropinquatur, ut qui in his omnibus minima semper spontanee elegit.

##### EX. S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Minimum pro magno placeat tibi, et improprie peregrinationis non audies.

Qui fidelis est in minimo, et in majori fi-